

Analysis actus charitatis

Autor(en): **Waffelaert, G.J.**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie**

Band (Jahr): **4 (1890)**

PDF erstellt am: **17.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-738295>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern. Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.



ANALYSIS ACTUS CHARITATIS.

AUCTORE DR. WAFFELAERT PROF. SEMINARII
BRUGENSIS.



Praevia.

Rei momentum. — Ex analysi actus charitatis eadem illa commoda, quae ex analysi actus spei praenuntiabamus,¹⁾ simili modo profluunt, quae ideo supervacaneum ducimus denuo heic recensere.

Addere possumus singularem huic tractationi propriam utilitatem, quatenus perfectius cognoscatur actus et habitus virtutis omnium nobilissimae ac praestantissimae, omnium efficacissimae ac maxime necessariae ad salutem: charitas enim, ut ex dicendis clarius elucebit, est finis et perfectio legis, virtutum omnium regina, mater et radix, in quantum est omnium (effective) forma, ita quidem ut ultimam iis det perfectionem virtutis simpliciter, ordinando omnes actus aliarum virtutum ad finem simpliciter ultimum (cf. S. Thomas, 1^a 2^{ae}, q. 62, art. 4, in corpore, q. 65, art. 3 et 4, in corp., 2^a 2^{ae}, q. 23, art. 7 et 8; et inter qq. disp., q. 2 de caritate, art. 3). Et cum super omnibus virtutibus, imo et donis Spiritus Sancti, emineant virtutes theologicae seu divinae (1^a 2^{ae}, q. 68, art. 8), ipsa charitas inter divinas dignitate maxima est et excellentissima (1^a 2^{ae}, q. 66, art. 6, et 2^a 2^{ae}, q. 23, art. 6) et manet in aeternum (1^a 2^{ae}, q. 67, art. 6). Tanta ergo summaeque virtutis cognitionem perfectiorem dicimus non tantum jucundam et speculative quasi utilem, sed practice: licet enim, ad mentem Thomae Kempensis

¹⁾ Jahrbuch für Philosophie etc. IV, p. 1.

et secundum rei veritatem, melius sit habere charitatis dilectionem, quam scire ejus definitionem, et licet motus charitatis in Deum non sequatur moderationem cognitionis sed excedat cognitionem humanam, etiam fidei (1^a 2^{ae}, q. 66, art. 6, ad 1^m, coll. 2^a 2^{ae}, q. 23, art. 6, ad 1^m): nemo tamen inficiari potest, meditationem diligentem ac penitiozem perscrutationem excellentiae virtutis vim habere et efficaciam movendi voluntatem ut, iuvante Deo, eandem virtutem magis diligat eamque serio excolat. Atqui tota lex et salus in charitate continetur; qui diligit, servat mandata, et, ut dicit Ecclesiastes XII, 13: „Deum time [timore filiali], et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.“

Significatio vocum. — Charitas pertinet ad genus amoris. Nomini autem amoris, sicut nomini spei, proprium est inter reliquarum omnium virtutum nomina, ut sit commune tum passioni, tum actui et habitui voluntatis, quemadmodum in praevis analysis spei, loc. cit., advertimus. Est tamen aliquod discrimen hac in re spem inter et amorem: cum enim spes aliud nomen non habeat, plura contra sunt nomina ad designandum amorem, ut vel ex nomine charitatis iam patet, quae quidem nomina saepe indifferenter ad eandem amoris speciem designandam adhibentur, sensu vero strictiore diversas species exprimunt. Ideo, antequam notionem rei, imo vel ordinem dicendi exponamus, utilissime pauca praemittimus de significatione vocum.

Sunt igitur nomina quatuor: amor, dilectio, charitas, amicitia, quae licet pertineant quodammodo ad unum, quia sunt appetitus boni ceu finis, tamen amor est quiddam magis commune quam dilectio, et dilectio quam charitas, et, saltem vi vocis, charitas quam amicitia. Etenim, omisso usu sensus cujusvis omnino improprii, amor est tum passio appetitus sensitivi, concupiscibilis, tum actus et habitus voluntatis. Dilectio super amorem addit electionem quamdam praecedentem, et est actus solius voluntatis.¹⁾ Charitas idem est ac dilectio, sed etiam habitum significare potest, et superaddit dilectioni quamdam perfectionem

¹⁾ De his omnibus vid. S. Thomam, 1^a 2^{ae}, q. 26, art. 3; ubi notat ad 4^m: nomen amoris esse aliquo sensu divinius quam nomen dilec-

amoris, in quantum id quod per caritatem seu charitatem amatur magni aestimatur (carus) et ex benevolentia (*χαρις*) diligitur. Sensus tamen vocis charitatis proprius et strictus ex usu est amor amicitiae. Scilicet amicitia significat vel meram relationem quae est inter amicos (de qua non agitur heic), vel ipsum actum vel habitum amandi amore amicitiae, et tunc melius dicitur amor amicitiae, superaddit autem benevolentiae, dilectionem mutuam, quae fundatur in communicatione seu communione bonorum. Et cum amor amicitiae sit vel ordinis naturalis, vel supernaturalis, usu theologico, solus amor amicitiae supernaturalis proprio et stricto sensu dicitur charitas (theologica). Et haec quidem perfectius explicabuntur, in ipsa notione rei seu analysi charitatis exponenda.

Ordo dicendi. — Cum amor sit tum passio appetitus inferioris concupiscibilis, tum voluntatis actus et habitus, charitas autem sit amor in voluntate supernaturalis et perfectus, possemus, sicut de spe fecimus, triplici quasi gradu ad charitatem theologiam analysi subjiciendam ascendere, dicendo primo de passione amoris, secundo de amore in voluntate, in ordine naturae, et tertio de ipsa charitate theologica, siquidem heic similiter valent quae in praeviis de spe dicebamus: scilicet tum in universo generatim, tum in homine in particulari, inferiora adumbrare superiora, hisque proin explicandis inservire. Nihilominus, his etiam positis et firmis manentibus, dictum ordinem paululum immutare utile ducimus, propter duplex discrimen cum tractatione de spe, quod quidem potius modum proponendi quam res ipsas afficit. Est autem discrimen in hoc quod, explicata passione spei, difficultas erat an et quisnam in voluntate sit actus spei specificus, qua difficultate soluta, iam via plana erat ad analysim spei theologicae; heic vero nulla difficultas ex

tionis, quia, cum dilectio dicat electionem rationis, amor vero potius passionem, tum praesertim appetitus sensitivi, tum quadamtenus etiam voluntatis quae, ratione prius quam agat, patitur influxum seu complacentiam boni, et, ad Deum amandum magis tendere possimus passive quasi attracti a Deo quam per propriam electionem, patet hoc sensu, melius convenire charitati divinae nomen amoris quam dilectionis.

discrimine inter passionem amoris et actum: attento enim sub-
 jecto diverso, appetitu nempe inferiori aut superiori, in ordine
 naturae aut supra naturam elevato, et objecto diverso respon-
 dente, bono sensibili aut rationis bono, naturali aut supernatu-
 rali, omnia sibi perfecte et manifesto respondent; et sicut amor
 est prima passio in concupiscibili, ita est primus actus volun-
 tatis: ita ut optime liceat notionem genericam amoris exponere,
 quae cujusvis speciei amoris applicetur, eique declarandae prosit;
 an autem amor sit actus distinctus a sequentibus, quibus sup-
 ponitur, quaestio tantummodo incipit ubi de his actibus agitur,
 hancque resolvimus, suo loco quoad spem. Deinde vero, appli-
 cando hanc notionem amoris genericam amori Dei in specie,
 primo quidem difficultas resolvenda erit quomodo spes theologica
 praecedat charitatem, licet amor sit primus actus voluntatis;
 praeterea vero majus etiam discrimen oritur inter utrumque or-
 dinem naturae et gratiae, cum, ut videbimus, nequeat in ordine
 naturae concipi charitas seu amor amicitiae proprie dictae ad
 Deum. Ideo dissertationem nostram dispescimus in duas partes:
 in priore, notionem exponimus amoris genericam, seu amoris in
 genere analysim facimus, eamque notionem verificari ostendimus,
 tum in passione, tum in actu voluntatis. In altera parte appli-
 camus notionem datam, prout in voluntate verificatur, amori Dei
 in specie. Sed cum alterius rationis sit amor Dei, in ordine
 naturae et in ordine praesenti, duplex erit hujus secundae partis
 paragraphus, prima de amore Dei in ordine naturae, altera de
 charitate theologica, in ordine praesenti supernaturali.

Pars I.

Notio seu analysis amoris in genere.

I. Quoniam habitus per actum definitur, primo et princi-
 paliter consideramus motum actualem amoris, et notionem damus
 omnino generalem amoris, quae communis sit omni amori, sive ap-
 petitus sensitivi,¹⁾ sive voluntatis.

¹⁾ Quod caeterum quaestio esse nequeat de habitu proprie dicto in
 appetitu sensitivo, vid. analysim nostram actus spei, in fine primae partis
 de spei passione.

In tota hac analysi prae oculis habeat nobiscum lector, tum doctrinam de passionibus in genere, quam ex S. Thoma breviter in unum contraximus, in dissertatione nostra de spe, initio primae partis de passione spei, tum praecipue 1^a 2^{ae}, q. 26—29, de passione amoris in specie, eique opposito odio; necnon varios sparsim textus, sive in locis jam indicatis, sive alibi, ubi de amore voluntatis agit S. Doctor, opportuno loco indicandos, imprimis vero 1^a 2^{ae}, q. 62 et sqq., quae directe de virtutibus theologicis in genere, et 2^a 2^{ae}, q. 23 et sqq., ac q. unica de Charitate (inter qq. disputatas), quae directe de charitate theologica tractant.

Itaque amor genericus et communis pulcherrime definitur cum S. Thoma, 1^a 2^{ae}, q. 26, art. 1, in corp.: principium motus appetitus tendentis in bonum ceu finem. Qua in definitione, plurima continentur, singillatim explicanda: nempe 1^o subjectum proximum amoris esse appetitum, adeoque et materiam seu objectum ejus esse bonum, utpote quod objectum est proprium et per se appetitus; 2^o pro diversis speciebus appetituum, et bonorum quae sint talium appetituum objecta, esse diversas amoris species; 3^o amorem non esse motum appetitus tendentem in finem, sed principium omnis motus tendentis in finem; amorem tamen esse motum, quo scilicet appetitus immutatur, ut ei bonum complaceat, ita ut omnis amor sit quodammodo passio, et in voluntate proinde actus cum passione (lato sensu) conjunctus.

Ex quibus pronum est concludere amorem esse primum motum appetitus, et agens omnia quae agit ex amore agere, adeoque et objectum amoris proprium seu formale esse bonum in communi seu qua tale.

Primo quidem, ipsis verbis S. Doctoris explicamus quae in definitione continentur; deinde vero, quae ulterius ex eadem deducuntur.

Ad primum, sufficit recitare 1^a 2^{ae}, q. 26, art. 1^m, utrum amor sit in concupiscibili, et 2^m, utrum amor sit passio; quorum quidem ordinem non fortuitum, sed aptissime intentum, et mirum artificium mirari licebit, ex eo quod data definitio seu generica omnis amoris notio integram et lucidissimam suam explicationem in duplici citato articulo inveniet.

In corpore prioris articuli sic loquitur Angelicus: „Respondeo dicendum, quod amor est aliquid ad appetitum pertinens, cum utriusque objectum sit bonum. Unde, secundum differentiam appetitus est differentia amoris: est enim quidam appetitus non consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed alterius, et huiusmodi dicitur appetitus naturalis: res enim naturales appetunt quod eis convenit secundum suam naturam, non per apprehensionem propriam, sed per apprehensionem instituentis naturam. . . Alius autem est appetitus consequens apprehensionem ipsius appetentis, sed ex necessitate, non iudicio libero: et talis est appetitus sensitivus in brutis, qui tamen in hominibus aliquid libertatis participat, in quantum obedit rationi. Alius autem est appetitus consequens apprehensionem appetentis secundum liberum iudicium: et talis est appetitus rationalis sive intellectivus, qui dicitur voluntas. In unoquoque autem horum appetituum amor dicitur illud, quod est principium motus tendentis in finem amatum: in appetitu autem naturali principium huiusmodi motus est connaturalitas appetentis ad id in quod tendit, quae dici potest amor naturalis . . . et similiter aptatio appetitus sensitivi vel voluntatis ad aliquod bonum, id est, ipsa complacentia boni, dicitur amor sensitivus, vel intellectivus seu rationalis. Amor igitur sensitivus est in appetitu sensitivo, sicut amor intellectivus in intellectivo appetitu: et pertinet ad concupiscibilem, quia dicitur per respectum ad bonum absolute, non per respectum ad arduum, quod est objectum irascibilis.“

Statim addamus alterum articulum; quae enim explicatione indigent in utroque, infra opportunius suum locum invenient. „Respondeo dicendum, quod passio est effectus agentis in patiente: agens autem naturale duplicem effectum inducit in patientem. Nam primo quidem dat formam, secundo dat motum consequentem formam. Sicut generans dat corpori gravitatem et motum consequentem ipsam; et ipsa gravitas, quae est principium motus ad locum connaturalem, propter connaturalitatem potest quodammodo dici amor naturalis: sic etiam ipsum appetibile dat appetitui, primo quidem quamdam coaptationem ad ipsum, quae est quaedam complacentia appetibilis, ex qua sequitur motus ad appetibile:

nam appetitus motus circulo agitur . . . : appetibile enim movet appetitum, faciens quodammodo in eo ejus intentionem, et appetitus tendit in appetibile realiter consequendum, ut sit ibi finis motus, ubi fuit principium. Prima ergo immutatio appetitus ab appetibili vocatur amor, qui nihil aliud est quam complacentia appetibilis; et ex hac complacentia sequitur motus in appetibile, qui est desiderium, et ultimo quies, quae est gaudium. Sic ergo, cum amor consistat in quadam immutatione appetitus ab appetibili, manifestum est quod amor est passio: proprie quidem secundum quod est in concupiscibili, communiter autem et extenso nomine secundum quod est in voluntate.“¹⁾

Ad secundum. Quod amor sit prima (ordine executionis) passio in appetitu concupiscibili, jam amplius declaraverat S. Thomas, de passionibus in genere, in 1^a 2^{ae}, q. 25, art. 2, ad quem agendo remittimus;²⁾ quod item sit primus actus voluntatis seu primus motus cujusvis appetitivae virtutis, explicaverat etiam in 1^a, q. 20, art. 1, agendo de amore Dei, quo scilicet Deus amat. Quod quia majoris momenti est ut intelligatur proprium amoris objectum, breviter ex Cajetano in utrumque cit. locum, desumimus quae magis sunt notatu digna. Doctrinam Doctoris Angelici, in 1^a, q. 20, art. 1, explicando refert, dicens: „Motus voluntatis, et cujuslibet appetitivae virtutis, tendit in bonum per se, in malum autem per aliud: ergo primus voluntatis motus, et cujuslibet appetitivae virtutis, est in bonum in communi: ergo primus actus voluntatis et appetitus est amor.“

Principium primo enuntiatum explicat in priorem loc. cit.,

¹⁾ Passio proprie non est nisi in appetitu sensitivo: tum, quia aliquam immutationem supponit in materiali organo, a quo independens est appetitus intellectivus; tum, quia appetitus inferior, dum movetur, potius patitur ab objecto quam agat, et ideo ex integro passio dicitur ejus motus seu actus, in voluntate vero praeter motum naturalem, inest motus electivus (de quibus statim in textu), quoties autem ex libera electione agit, licet influxum objecti patiatur, seu v. g. in amore, primam complacentiam boni, magis tamen agit quam patiatur, et ideo motus ejus, praesertim liber, ex integro actus dicitur potius quam passio.

²⁾ Idem breviter exposuimus in nostra „*Analysi spei*,“ initio primae partis, ubi de passionibus in genere compendiose diximus.

scilicet in 1^m 2^{ae}, q. 25, art. 2: „Quia malum non est objectum appetitus ut prosequendum, sed ut fugiendum, et eadem ratione qua bonum appetitur, malum refutatur: ideo utrumque verificatur, scilicet, et quod utrumque est objectum diversimode, et quod bonum communiter assignatur: quia bonum per se, malum vero per accidens, id est, per aliud, scilicet bonum, est objectum. Verumtamen esto cautus in re hac. Dupliciter enim invenitur accidentalitas in istis, scilicet referendo potentiam ad objectum, et referendo actum ad objectum. Si consideretur namque potentia in ordine ad suum per se primo objectum, sic bonum est per se objectum omnis appetitus, malum vero per accidens . . . Si vero consideretur aliquis specialis actus appetitus in ordine ad suum proprium objectum, sic et respectu boni et respectu mali invenitur per se et per accidens. Actus enim tendens per se in bonum, est per modum prosequentis, et tendens per se in malum, est per modum recedentis: bonum enim est quod omnia appetunt, et malum quod omnia fugiunt. Unde . . . desperatio est actus appetitus per accidens respectu boni, quia recedit a bono; et audacia est actus per accidens respectu mali, quia accedit ad malum. Timor vero est actus per se respectu mali, quia fugit ipsum. Inter speciales ergo actus differentia est, quod alii per se, alii per accidens respectu boni, vel mali, sunt: potentia autem ipsa per se solum bonum respicit. Et non est hic sermo de ly per accidens, ut distinguitur contra per se, sicut dicimus: quod album aedificat non per se sed per accidens, sed ut distinguitur contra per aliud, quod stat esse per se secundo, ut patet.“ En explicatio antecedentis, scilicet: motus voluntatis, et cujuslibet appetitivae virtutis, tendit in bonum per se, in malum autem per accidens. Quam quidem explicationem uno verbo contrahit idem Cajetanus, in 1^m, q. 20, art. 1, dicendo: „Antecedens declaratur, quia malum non cadit sub appetitu, nisi in quantum opponitur bono.“

Deinde jam pergit declarare consequentias deductas, quarum prima erat: ergo primus voluntatis motus, et cujuslibet appetitivae virtutis, est in bonum in communi. „Consequentia vero prima, quoad primam partem, scilicet, quod primus actus tendat in bonum:

probatur ex eo, quod id, quod est per se, prius est eo quod est per aliud. Quoad secundam vero, scilicet, in communi: quia communius naturaliter est prius, cujus signum ad propositum est, quod intellectus prius respicit verum commune, quam vera particularia.

Secunda autem consequentia probatur (quae erat: ergo primus actus appetitus est amor) ex differentia objecti amoris ad objecta aliorum actuum voluntatis et appetitus: quia amor est respectu boni in communi, desiderium autem, spes et delectatio respectu boni specialis, puta praesentis vel futuri. Et confirmatur ex hoc quod omnes alii motus appetitivi nascuntur ex amore: quod manifestatur inductive in actibus desiderii, gaudii, odii, tristitiae, etc.

Duo de hisce remanent notanda cum Cajetano. 1°. Quando dicitur amor respicere bonum in communi, non intelligi bonum universale, nam amor sensitivus esse nequit de bono universali, sed intelligi bonum absolute, absque aliqua limitatione: est enim omnis amor de bono absolute, desiderium vero de bono futuro, delectatio de bono conjuncto, etc. Verum tamen manet: quod commune naturaliter est prius, quia bonum absolute ad bonum cum certa conditione se habet proportionaliter sicut bonum communius ad minus commune.

2°. Quando dicitur amor primus actus appetitus, intelligitur appetitus, non de qualibet potentia appetitiva, quia primus actus irascibilis certe non est amor, sed de tota latitudine appetitivae virtutis in qualibet natura, et sic amor est primus actus totius appetitus sensitivi, qui distinguitur in concupiscibilem et irascibilem.

Constat ergo primum motum appetitus esse amorem. Aliud consectorium ex data notione amoris erat quod agens omnia agat ex amore. Quod quidem S. Thomas paulo infra, ubi de effectu amoris exponit, 1^a 2^{ae}, q. 28, art. 6, nos vero statim nunc adjicimus, quoniam evidenter continetur in praedictis, sicut et tertium consectorium, nempe, objectum amoris esse bonum in communi. Si enim objectum per se appetitus est bonum, et primus motus appetitus in bonum est amor, objectum amoris est bonum secundum se, absque aliqua limitatione seu conditione, et omnes motus in bonum sub certis conditionibus oriuntur ex amore.

Haec est generalis explicatio tum amoris generice sumpti, tum deductionum supra expositarum ex notione illa amoris. Nunc reliquum est, antequam ad ulteriorem analysim amoris procedamus, paulo diligentius inspicere quae S. Thomas, in data notione amoris, profert de diversis speciebus appetitus et amoris, ubi ponit amorem naturalem, deinde amorem sensitivum et intellectivum.

Et primo quidem notandum est appetitum et amorem naturalem,¹⁾ sumi dupliciter: 1° pro ipsa inclinatione habituali naturae in bonum, quae non est actus elicited, sed pondus quoddam naturae seu propensio naturae a Creatore indita, aliis verbis, ipsa natura propensa et inclinata in suam perfectionem. Adeoque hic appetitus non intelligitur specialis potentia, sed ipsa natura, et amor hic naturalis improprie dicitur, cum amor sit proprie nomen veri actus elicited. Hancque impropriam significationem indicat S. Thomas, in textibus supra recitatis ex 1^a 2^{ae}, q. 26, art. 1 et 2, dum ait: quodammodo dici potest amor naturalis. Igitur hic amor naturalis improprie dictus sequitur formam naturalem, et apprehensionem ipsius Auctoris naturae, non vero apprehensionem appetentis propriam, et invenitur in omnibus rebus, etiam omni cognitione carentibus, et in omnibus potentiis tam activis quam passivis.

Sed, quoniam inclinatio naturalis diversimode reperitur in diversis naturis seu substantiis, in unaquaque scilicet secundum modum ejus, inde fit quod in animatis, sensitivis nempe et intellectualibus, sit praeterea inclinatio naturalis secundum specialem potentiam appetitivam, quae appetitus animalis dici potest, prout contradistinctus ab appetitu naturali ut supra. Appetitus autem animalis sequitur formam apprehensam, seu cognitionem, sensitivam vel intellectivam, ipsius appetentis (vid. 1^a, q. 59, art. 1,

¹⁾ Non agitur nunc de amore in ordine naturae, prout contradistinctus ab amore supernaturali, sed sermo est de amore innato, ad unum determinato, sicut natura, prout contradistinctus potissimum ab amore electivo seu libero, ut explicatur in textu. Porro uterque amor, naturalis et electivus supernaturaliter perficiuntur in ordine praesenti, ut infra dicitur.

et q. 78, art. 1, ad 3^m, cum comment. Cajetani). Igitur 2^o cum in animatis ipse appetitus, sensitivus vel intellectualis, sit naturaliter inclinatus non tantum in sibi conveniens, sed etiam ad aliquod bonum proprium ipsius naturae sensitivae vel intellectualis, id est, ad unum determinatus saltem ex parte alicujus objecti seu quoad specificationem, oportet ut aliqua operatio ejus sit etiam determinata saltem quoad specificationem relate ad idem bonum in quod inclinatur necessario appetitus. Et haec operatio dicitur proprie amor naturalis, cum sit actus proprie dictus, elicitus, et vere sit principium motus appetitus in bonum. (Vid. 1^a, q. 60, art. 1, coll. q. 80, art. 1, cum comment. Cajetani.)

Imo amor hic naturalis est causa omnis amoris liberi seu electivi in natura intellectuali, de qua praecipue agendum habemus. Etenim, voluntas est naturaliter inclinata in finem ultimum, id est, in beatitudinem seu bonum in genere, quamquam, Deo non viso, materialiter finem ultimum reponere potest in diversis bonis, et liberam electionem habet in aliis actibus ad finem (cf. 1^a, q. 82, art. 2, coll. Cajet.). Sed, ut ait S. Thomas, ead. q. 82, art. 1 (coll. q. 60, art. 2, cum comment. Cajet. in hos locos) finis habet rationem principii in operativis, oportet enim quod illud, quod naturaliter alicui convenit et immobiliter, sit fundamentum et principium omnium aliorum: quia natura rei est primum in unoquoque, et omnis motus procedit ab aliquo immobili.

Et hoc igitur est secundum notandum, amorem naturalem prout contradistinguitur non tantum ab elicitio, ut in rebus inanimatis, sed ab electivo seu libero, ut in intellectu et voluntate praeditis, esse motionem universalem, ex parte objecti, primi moventis Dei, praesuppositam omni amori, adeoque et omni actui voluntatis, cum amor sit primus motus appetitus, ut vidimus. Ex parte autem actus, amor naturalis habet rationem causae efficientis respectu amoris electivi. Utrumque optime et breviter declarat Cajetanus, in 1^{am}, q. 60, art. 2: „Dilectio naturalis ex parte objecti est causa finalis electivae, quia propter naturaliter dilectum diligimus alia. Ex parte vero actus, est causa per modum efficientis, sicut cognitio principii est causa efficiens cognitionis

conclusionis. Voluntas enim ex volitione finis facit se volentem alia, facit autem libere utendo volitione naturali ad causandam dilectionem electivam. Unde non adimitur libertas ex concursu hoc, sicut nec ex concursu alicujus habitus ad electionem.“

Praecedentia breviter in unum recolligendo, jam habemus 1° notionem genericam amoris explicatam, ex qua constat amorem esse principium motus appetitus tendentis in bonum ceu finem, adeoque esse actum appetitus, et primum quidem ac originem caeterorum, et pro objecto habentem bonum qua tale seu secundum se et absolute. Habemus 2° distinctiones amoris: in amorem naturalem improprie dictum, qui aliud non est quam inclinatio habitualis naturae in bonum seu perfectionem, et contradistinguitur ab amore elicitu, et invenitur in omnibus rebus; in amorem naturalem proprie dictum, qui est actus elicitus potentiae appetitivae seu appetitus animalis, et invenitur in solis sensitivis vel et intellectivis naturis, consequens propriam appetentis cognitionem seu apprehensionem, et contradistinguitur ab amore electivo seu libero; in amorem electivum seu liberum voluntatis, proprium naturae intellectuali, de quo praecipuus est sermo praesens. Ex quibus etiam videmus secundum hunc triplicem gradum, amoris seu appetitus naturalis qui in omnibus rebus est, amoris sensitivi, qui naturalis est proprie dictus in sensitivis creaturis, quamquam aliquid libertatis participat in homine, ut loquitur S. Thomas, et amoris electivi seu liberi, ab eodem Doctore Angelico enumerari distinctiones amoris, in 1^a 2^{ae}, q. 26, art. 1, procedendo nempe a magis communibus ad propria creaturis perfectioribus, non vero quasi in homine non sit amor naturalis etiam secundum voluntatem, qui quidem, ut vidimus, est principium amoris electivi. His positis, jam ulterius progredi licebit in analysi actus amoris.

